



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

VII. Matrimonia seruorum a dominis non sunt irritanda, cum nullus a sacramentis ecclesiae sit amouendus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ALEXANDER LATERANENSE III. FRIDERICVS I.
P. III. IMP. 701
ANNO CHRISTI 1179. cestum commisit, nec viro suo coniungi carnaliter, nec eo
viuente, cum alio matrimonium inire valebit.

C A P . VII.

Item Hadrianus papa Eberardo Magdeburgensi archiepiscopo.

Dignum est & a ratione non discordat, quod ea quae inter se dubietatis scrupulum videntur continere, ad apostolicæ sedis iudicium referantur, vt inde Christi fideles in dubiis certitudinem se gaudeant inuenire, vnde noscuntur magisterium fidei suscepisse. Tua nos fraternitas de seruorum coniugiis, quae inuitis & contradicentibus dominis contrahuntur, quid fieri debeat, ab apostolatu nostro, si bene meminimus, requisiuit; super quo utique duimus respondendum. Sane iuxta verbum Apostoli, prout Galat. 3.
Coloss. 3. tua discretio cognoscit, in Christo Iesu nec liber nec seruus est, qui a sacramentis ecclesiasticis sit amouendus, ita quod inter seruos matrimonia nullatenus debeat prohiberi: & si dominis inuitis & contradicentibus contracta fuerint, nulla ratione propter hoc sunt ecclesiastico iure dissoluenda: debita tamen & consueta seruitia non ex hoc minus sunt propriis dominis exhibenda.

C A P . VIII. Idem ex Concilio Triburienſi.

De Francia quidam nobilis homo mulierem de Saxonia lege Saxorum duxit in vxorem, tenuit multis annis, & ex ea filios procreauit: verum quia non eisdem vtuntur legibus Saxones & Franci, causatus est, quod eam non sua, id est, Francorum lege despousauerit, vel acceperit, vel dotauerit: dimissaque illa, duxit alteram. Diffiniuit super hoc sancta Synodus, vt ille transgressor euangelicæ legis subiiciatur pœnitentia: a secunda coniuge separetur, & ad priorem redire cogatur.

Cap. 39.
Concilii
Tribur.

DE POTESTATE IVDICVM.

PARS
XLVI.

C A P . I. Idem episcopo Lucensi.

CVM te consulentem postulas edoceri, vtrum ad te pertineat, sententiam quam in causis iudices a nobis in tua prouincia delegati protulerint, confirmare, licet de ipsis causis nihil in praesentia tractatum sit, respondemus,

Tttt ij